

ab uno loco in alium transire poterant. Eadem & Kircheri l. c. part. 2. lib. 3. c. 1. pag. 180. aliorumque sententia est, confirmata insuper ab illo his ex Beroso adductis verbis. *Finito diluvio cum Arcam Gordieo monte Armeniae confedisset, Noë diu ibi mansit, suosque filios primum docuit agriculturam, artesque colendi vites & conficiendi vinum & ceremonias colendi Deum. Multa quoque naturalium arcana mandavit literis, quæ apud Scythas Armenos solos sacerdotes legere, docere & discere fas est &c.* addiderim hic ego: *si credere fas est.*

§. 16. Cæterum locus ille egressionis ex arcâ, in sacris אררט *Ararat* dictus, qui & ubi situs sit, maxima deprehenditur inter interpretes dissensio. *Drusus* cum & *Goropius Becanus* ac *Raleghus* Anglus per congeriem montium exponunt. Id quod aliis, præsertim *Roberto Sheringhamo*, in *de Anglor. Gentis origine cap. 15.* ad mentem S. Script. non satis appositum videtur, qui regionis potiùs, quàm montis ubi arca constiterit nomen interpretatur. Locum ipsum verò in Armeniam collocat *Drusus*, eique nomen ab Armenis *Ἀποβατήριον* i. e. *egressorium* factum addit. *Berosus* non *Annianus* duntaxat ille sed *verus* etiam à *Josepho* citatus arcam ad Armeniorum montium juga diminutis aquis tanquam ad portum appulsam, & fragmina quædam lignorum & clavorum ejus ad sua usque tempora permansisse refert, ex quibus abrasum bitumen incolæ istius loci amuleti vice gestarunt. *Annianus* verò *Berosus* in sacrificiis, ad DEOS scilicet placandos veteres bitumine illo usos fuisse narrat.

§. 17. Pro Armenia ex recentioribus pugnat quoque *Cl. Borchartus* qui ex professo hac de re *Phal. L. 1. c. 3.* *Hornius*, *Arc. N. §. VII. p. 25.* & hos secutus novissimè *Frider. Spanheimius F. Introduct. ad Geograph. S. Sect. 1. n. 2. p. 9.* Qui postquam varias circa hanc quæstionem rejecisset opiniones: v. g. habitasse Noachum circa Damascum Syriæ ad Libanum montem, struxisse secundum Arabes Thamanim urbem; penetrasse in Italiam, hinc dictam à vineæ plantatione Oenotriam; substitisse arcam in Phrygiæ aut in Scythiæ montibus; superesse hodieque arcam in summo montis fastigio haud longè à mari Caspio, quod & nuperus Itinerarii conditor tradidit &c. Demum subjungit: *Fidem veriùs merentur quæ ex Scripturâ & ex consensu Eruditorum rata sunt. Arcâ vi ventorum aquarumque ad Borialiores Armeniae montes impulsâ, Noachum deinceps cum suis*